Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 371
Quelle:
Copyright:

Non ignarum fuiſſe naturalis Hiſtoriae Poetam ea produnt, quae de Plantis, Avibus &c. adfert, ſed nempe ad Myſticen trahuntur omnia. Neque de aevo aut patria Carminis tuto quid ſtatuas. Inter Amicos Autoris quidam *ſub Senomonte ſedere* et Horti muris imponere *Heerzele nomen* dicitur, alius adpellatur *Godefridus*,

Quem tenet ipſa domus de ſilua carthuſienſis.

Bina in *Alb. Miraei Originib. Carthuſ.* Clauſtra *de Silva* dicta reperio, unum Provinciae *Burgund.* nomine *Silvae Benedictae*, alterum Provinciae *Belg.* nomine *Silvae S. Martini.* Atque iſtud optem prae altero.

XI. *fol.* 136. absque titulo *Elegiae* VI. perperam olim *Corn. Gallo* tributae, reipſa *Cornelii*, ut hominem adpellat *Aug. Erneſtius* in *not. ad Fabr. Bibl. lat.* L. I. C. 14. p. 426. *Maximiani Galli Etruſci*, qui ſub *Anaſtaſio* Imp. ut idem ait, neſcias an *Dicoro*, an *Artemio*, floruit. Incipiunt:

Aemula quid ceſſas finem properare ſenectus &c.

et in *Cod.* quidem indiviſae decurrunt, non absque lectionis varietate, ſiquidem operae pretium foret, eas excutere. Id unum obſervo, non videri, quod quidam putarunt, adludere ad eas *Alexandrum de Villa Dei*, dum in principio *Doctrinalis* ſui ait:

Meque legant Pueri pro nugis Maximiniani;

quis enim ſibi perſuadeat Magiſtros Grammaticae Tirunculis obſcena, quae in his Elegiis occurrunt, pro ſcholis propinaſſe. Itaque *Ducangius* in Praef. *Gloſſarii* rectius *Maximiniani Grammaticam* Pueris praelectam memorat, quae fortaſſe nihil ab ejus *Arte Metrica* diverſum erat, quam *Labbeus Bibl. nova Mſs.* p. 63. indicavit. De *Elegiis* plura apud *Fabric. cit.* in promtu ſunt.

XII. *fol.* 149. manu, ut videtur, Sec. XIV. Commentariolus in Poema *de Facetiis Menſae*, qui incipit: *Cum ipſa moralis facecia menſe quam plures ruditate ſubmerſos* &c. De Autore Poematis haec tradit: *Cauſa efficiens dicitur fuiſſe quidam alimanus reynerus nomine ut patet ex quindecim primorum uerſuum literis capitalibus que ſi debite combinantur ſonant: reynerus me fecit.* Neque plura de Eo norunt *Leyſerus* et *Fabricius.* E verbis porro adductis inferre licet, Poema ſat diu ante Commentarium extitiſſe. Simul tamen deinceps edita ſunt, titulo *Fagi faceti*, quem *Fabricius*